



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXXIII. Continuatio eiusdem Historiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCXXIII.

Continuatio eiusdem Historiæ.

Joan. 4.

PUNCTUM I. Translato sermone de aqua materiali ad Aquam Spiritualem, dixit Christus mulieri: *Omni qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex Aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed Aqua, quam Ego dabo ei, fiet in eo Fons Aqua salientis in Vitam aeternam.* Joan. 4. à v. 13. Sic nulla bona temporalia possunt explere sitim, & appetitum nostrum, quia omnis illorum delectatio vana, & fluxa est, & plerumque in remorsum Conscientiæ, tristitiam, ac pœnitudinem desinit. At bona Gratiæ in hac vita quietem, gaudium, & spem æternorum pariunt; in altera autem vita perfectam satietatem tribuunt. *Secura mens quasi iuge convivium.* Proverb. 15. v. 15. *Satiabor, cum apparuerit Gloria tua.* Ps. 16. v. 15.

PUNCT. II. Cùm mulier Samaritana agnovisset, Christum esse Prophetam, mox proposuit illi quæstionem inter Judæos, & Samaritanos valde controversam: *Patres nostri in monte hoc (Garizim dicto, urbi imminente) adoraverunt; & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei IESVS: Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. v. 21. (carnalibus animarum Sacrificijs, uti faciunt Judæi, & Samaritæ) sed venit hora & nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & Veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est DEVS, & eos, qui ado-*

B

rans

*vant eum, in Spiritu & Veritate oportet adorare, v. 24. Vide, qualis debeat esse nostra Oratio; & quanto opere DEVS illam desideret, ita ut quærat veros Adoratores, qui nempe non solum externo ritu, vel externo cultu corporis, vel linguæ sono, vel uno tantum in loco, vel more Pharisaico adorent DEVM: sed quia DEVS Æternus & Immensus est, semper oportet orare, & nunquam deficere: ubique Tempia ipsi sunt extruenda; imò extra illa ubique adorandus est. Quia etiam Spiritus est, debet adorari in Spiritu per Intellectum, & Voluntatem, scil. attentè, ac devotè. Et quia Verax est in promissis, debet adorari in Veritate, ut Cor consentiat Linguæ, & Vita Orationi, cessetque illa Christi querela Marci. 7. v. 6. *Populus hic labijs me honorat; Cor autem eorum longè est à me: in vanum autem me colunt.**

PUNCT. III. Audito responso Christi mulier vel majorem claritatem, vel majorem certitudinem desiderans, dixit: *Scio, quia Messias venit.* (Passim enim increbuerat Messiaë propinquus adventus ex Vaticinio Jacobi. Gen. 44. quod translatione Sceptri de Tribu Juda jam erat impletum; & ex Vaticinio Danielis. c. 9. v. 24. Unde Judæi putabant, Joannem Bapt. esse Messiam.) *Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Joan. 4. v. 25. *Dicit ei IESVS: Ego sum, qui loquor tecum,* v. 26. Considera, verissimum esse, quod dixit mulier; Christus enim omnia nobis annuntiavit tum per se, tum per Ecclesiam, quæ credenda, & quæ agenda sunt. Væ ergo hæc scienti, & non facienti! Ex eo etiam, quòd Christus tam clarè, & asseveranter mulieri Samaritanæ manifestarit, se esse Messiam, patet, DEVM sæpe revelare sua Mysteria

& dare claras rerum Divinarum cognitiones hominibus rudibus, & indignis; unde si eas in te experiaris, noli extolli; sed crede, tibi tanquam uni ex illis datas esse.

MEDITATIO CCXXIV.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Joan. 4.

PUNCTUM I. Dicit ei JESVS: *Vade, voca Virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo Virum. Dicit ei JESVS: Bene dixisti, quia non habeo Virum: quinque enim Viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus Vir: hoc verè dixisti.* Dicit ei mulier: *Domine video, quia Propheta es Tu.* Joan. 4. v. 16. Audiverat Samaritana præteritorum suorum actuum manifestationem miraculosam, audiverat etiam eodem Miraculo confirmatam claram Christi confessionem, qua se esse Messiam confessus est. Reliquit ergo hydriam suam, & abiit in civitatem, & dixit illis hominibus: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Nunquid ipse est Christus? extêrunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.* à v. 28. Hoc Mysterio, quòd mulier Christum annuntiat, hydriam suam reliquerit, significatur nobis, quòd nos Christum annuntiat, omnia terrena relinquere debeamus, quorum, utpote rerum fluxarum, ac vilissimarum possessio, ac capacitas, pluris non est æstimanda, quàm hydria aquæ, quæ etiam facile frangitur, & potum vilissimum continet. Neque hoc alios ad Christum adducendi munere, atque